0557
0555
0561
0551
0566
0546
0606
0506
0656
0456
1056
0056

amplius ad locum peregrinantur, ut dixi P. 1. fol. 74. Propter istos ergo Machometi peregrinos relicta ad moram peregrinatione mea cum eis contemplatione peregrinatus sum, ut viderem differentiam peregrinationis nostrae et peregrinationis eorum; nos enim peregrinamus ad sepulchrum Jesu Christi, filii Dei, et quaerimus reliquias sanctae Catharinae virginis castissimae; ipsi autem peregrinantur ad sepulchrum Machometi, filii diaboli et quaerunt servitia impudicissimae Veneris meretricis.

Resumendo ergo peregrinationem nostram ulterius processimus et multos alios Sarracenos, Machometi peregrinos, obvios habuimus per littus maris rubri ascendentes usque in Arabiam felicem, in qua Mecha ad oram maris rubri est sita, civitas bona et portus maris non mediocris, ad quem species aromaticae, piper, cariophylli, cingiber et hujusmodi in magna copia devehuntur et inde per peregrinos evehuntur in camelis et mittuntur etiam in Damascum Syriae et ad alia loca. Ratio, quare tot peregrinos Machometi obvios habuimus, est, quia eorum jejunium inchoaverat, ut patet fol. 74., et in eo, sicut et Christiani, libentius peregrinantur et illo tempore sunt etiam fervores solis mitigati.

Porro circa meridiem venimus ad quandam ingentem curiam cum habitationibus multis, quae erat diversorium, et ingressi curiam diversorii invenimus magnam cisternam et pretiosam, cum rotis, marginibus et cannis factam, quam dicebant esse cisternam Soldani, de qua boves continue aquam extrahebant. Ibi ergo praetereuntibus nostris camelis de asinis descendimus et aquam gustantes bibere non potuimus, quia erat calida, insipida et aliqualiter salsa, bestias tamen adaquavimus. Puto hoc in loco ab antiquo fuisse diversorium, quia undique ibi viae conveniunt tendentes in Aegyptum, et forte ad hoc diversorium divertit Moyses, quando eum Dominus volebat interficere pro eo, quod filium suum Eliezer nondum circumciderat et ibi eum Siphora circumcidit, ut habetur Exodi IV. Quo viso ulterius processimus per illum adustum campum usque ad solis occasum et in loco campi, quem nominabant Choas, exoneravimus bestias ad manendum. Erat autem ventus fortissimus et durus et nulla vi potuimus erigere

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;